DIEM SACRUM

AB S. LUDOVICI NOMINE

NUNCUPATUM

IN HONOREM

SERENISSIMI ET POTENTISSIMI

PRINCIPIS ET DOMINI

LUDOVICI III

MAGNI DUCIS HASSIAE ET AD RHENUM

CIVIBUS

ACADEMIAE LUDOVICIANAE

OMNI QUA PAR EST

OBSERVANTIA ET REVERENTIA

CELEBRANDUM

RECTOR CUM SENATU

INDICIT.

SUBIICITUR F. OSANNI P. P. O. ADNOTATIONUM CRITICARUM IN QUINTILIANI INST. ORAT. LIB. X PARTICULA VI.

GISSAE.

TYPIS GEORGII DANIELIS BRUEHLI TYPOGR. ACAD.

MDCCCLVIII.

§. 104.

Superest adhuc, et exornat aetatis nostrae gloriam, vir seculorum memoria dignus, qui olim nominabitur, nunc intelligitur. Habet amatores, nec imitatores; ut libertas, quanquam circumcisis quae dixisset, ei nocuerit. Sed elatum abunde spiritum, et audaces sententias deprehendas etiam in iis, quae manent. Sunt et alii scriptores boni etc.

Breviori nunc quidem in gravissimo hoc loco, qui summorum virorum ingenia mirum in modum exercuit vel potius delusit, mihi esse licet. ex quo intellectum est in vitiosa librorum scriptura delituisse Cremutii Cordi nomen: quod quum coniectando olim assecutus essem, pluribusque coniecturam secum communicatam stabilire totiusque loci rationem illustrare docte Weberus meus [1]) adnisus esset, sero vidimus uterque inventionis palmam a C. Nipperdey praecerptam esse [2]): quod quum ita acciderit ut, utrinque ea de re seorsum disputatum sit, id hoc certe habuit utilitatis, ut alterius opinione non occupatus unus sententiam quisque suam aperuerit: in qua tametsi uterque in principali re convenerint, in singulis tamen illustrandis discesserint, hoc mihi — nam piaculum visum hunc locum, ad quem ordine delatus sum, relinquere intactum — superesse video. ut quam potuero brevissime relictam spartam resumam in manus, quum praesertim, quod vix fieri potuisse credideris, Bonnellius etiamtum a. MDCCCLV Cremutii nomini tantopere inviderit, ut Spaldingianam scripturam, quam in lemmate exhibui, paucis tantummodo mutatam [3]), secure repetierit illustrareque studuerit, suam inventi illius, etiam aliorum industria divulgati [4]), inscientiam his professus, ubi de scriptore, cuius laudes Fabius praedicet, verba facit: „Ob dieser, wie vielfach vermuthet worden, *Tacitus* oder ein Anderer sei, wird sich schwerlich ermitteln lassen.

De Cremutii nomine nunc restituto, quod ex librorum Mss. scriptura recte perspecta ultro prodit [5]), ut nihil dicam, in diversas partes Nipperdeius et Weberus eo

1) Prooem. ind. lect. Marburg. a. 1853—1854.

2) Schneidew. Philol. VI. p. 193 seq.

3) Omisit *ei* scripsitque *imitatorem et cui libertas.*

4) Iahnii Jahrb. Vol. LXVIII. p. 347. Schneidewini Philol. VI. p. 753.

5) Ab ratione harum Adnotationum non alienum videtur, integram totius loci miro modo affecti scripturam, qualem praestat Turicensis codex, adhuc non plane cognitam, cum VV. DD. communicare, una cum notitia alius adhuc in examen non vocati. Atque ille a pluribus manibus exaratus ita: *supei,* [*supior* al. m.] [nota ꝑ, debetur al. m.] *ad hoc exornat aetatis nostrae gloriam vir seclorum memorie dignus qui olim nominabitur. nunc*

discedunt, quod hic ut plerumque atque etiam a novissimo editore factum est, totum locum supra scriptum ad unum historiarum scriptorem pertinere existimavit, ille vero duos intelligi voluit, ita ut verbis *superest-intelligitur* unus, indeque sequentibus alter significatus sit, et hic quidem Cremutius Cordus, illic Fabius Rusticus: quo de discrimine primum dicendum est, quandoquidem istorum verborum, quae ab utroque Cremutio vindicantur, verus intellectus ex quaestione aptus sit, num totus locus ad Cremutium referendus sit necne. Atque hic quidem Nipperdeius in errore mihi versari videtur, quod priore loci parte Rusticum significari dixit, quoniam hoc invito ipso Fabio factum fuerit, qui in recensu scriptorum variorum non potuit non ita agere, ut quem laudaret auctorem, nomine suo appellaret: a qua consuetudine in uno Domitiano Caesare defecit, quem cur non nomine nominarit non est obscurum, quum praesertim quem significaret ex memoriae ratione cognosceretur abunde. Itaque neque Rusticum neque alium quemquam scriptorem Fabius in mente habere potuit, ita ut superfluum iam sit, eorum quos a Quintiliano intelligi potuisse VV. DD. suspicati sunt [6]), examinare num quis Fabio Rustico aptior intelligatur. Praeterea Nipperdeio obest familiaris Fabio loquendi usus, quo *superest adhuc,* temporis habita ratione pro *superstes adhuc est*, is teste Bachio l. l., loco nostro excepto semel tantum, quadragies vero, ubi de iis quae in fine operis seu disputationis, absolutis ceteris partibus, pertractanda restent, usus esse reperiatur. Si iam apparet, non de duobus historiae scriptoribus, sed de uno solo per totum hunc locum sermonem esse, quaeritur num altera ista potestate, quam dixi, *superest adhuc* accipiendum sit. Quam quaestionem non movissem, nisi Weberum, qui unum auctorem statuit significari, dimissa altera ista verbi potestate, intellexisse animadverterem libros, quos scripsisset, etiam tunc superstites et servatos, idque dictum putasse ratione singularium fatorum, quae isti libri, videlicet Cremutii, subiissent, habita. Sed quamvis eam vocis vim adstrui posse Weberus sibi persuaserit ex allatis his verbis X, 3, 28 *cum tanto plura exempla bene dicendi supersint*, non satis expendens aliud esse *superesse exempla,* aliud *virum,* tamen ipsa

intelligitur hnt amatores nec inmerito remuti libertas quamquam circumcisisq [e] *dixisset t nocuerit. se latum habunde spiritum ut audaces sententias deprehendendas iam in his quae manent* s̆ al. m: = *sunt alii* corr. *sue et alie scriptores.* Alter codex Brisgoviensis Friburgi servatus, saec. XI. nitidissime scriptus, haec habet: *Superest adhuc et exornat aetatis nostrae gloriam vir seculorum memoria dignus. qui olim nominabatur nunc intelligitur habet amatores nec imitatores uti libertas quamquam circumcisis que dixisset ei nocuerit. se elatum habunde spiritum et audaces sententias deprehendas etiam in his quae manent.* Horum codicum notitiam Weberi humanitati debeo, qui copiam eorum nuper nactus ipse quam accuratissime descripsit.

6) Recensum exhibent Nicol. Bachius in Ephem litt. Ienens. a. 1837. Suppl. 85. p. 294 sq. et Weberus p. IV.

scriptura meliorum codicum *et* ante v. *exornat* omittentium confisus, rotundiorem et concinniorem procedere orationem iudicavit, si exstincto *et* legeretur *superstes adhuc exornat* etc. quae ratio eodem, quem modo tetigi, errore laborat. Immo si *et* retinendum, nihil verius, nihil aptius quam quod nunc vulgatur in ipso fine censurae historicorum: restare ut postremo, ne quid memoria dignum omisisse argueretur, de Cremutio verba faciat: cuius memoriam ad extremum hunc disputationis locum Fabius propter singularem conditionem, qua Cremutii libri ad Quintiliani aetatem pervenerant, relegasse videri potest. Sed verum quod Weberus *et* in suspicionem vocavit, protinus iubentibus ipsis codicibus expellendum: quo expulso id ipsum *superest*, cui voci cum seq. nectendae inserviebat, suspectum fit revocatque in memoriam lectionem optimi Turic. prorsus adhuc neglectam, quae vereor ne sua veste detracta ipsam Fabii manum praestet. Etenim quum pro *superstes* is *super eius*, a sec. m., ut refert Spaldingius [7]) *sermone superior eius* exhibeat, primum *sermone* patet male ab eo adiectum esse, qui quo sensu *superior* accipiendum esset, ignoraret: tum quum idem librarius recte quidem vidisset *superior* scribendum esse, tamen non perspexit quod voci *super* adiectum reperiebat *eius*, id originem ex extrema v. *superior* syllaba compendiose exarata traxisse: unde illud lectionis monstrum *sermone superior eius* natum est. Iam *superior* bene secum ducit *adhuc*, pro Fabii seculo ipsiusque Fabii usu iam a Spaldingio adnotato [8]), comparativo recte appositum, et quod subiecto *vir* praeponitur *superior adhuc*, respectu habito ad verba *paulum aetate praecedens eum*, parat transitum ab Aufidio Basso ad Cremutium Cordum. Nempe *superior*, quod rei prorsus convenit, de tempore, quo uterque vixerunt, dictum, quemadmodum nude reperitur eadem vi positum I, 7, 2; item *prior*, sed ablativo adiuncto III, 1, 21: *accuratius vero priores Gallione Celsus et Laenas.* Insuper haec ipsa loci scriptura nunc proposita aliquantum eo ordine iuvatur, quo Seneca Suas. VII (VI) p. 22 ed. a. 1619 eorundem scriptorum, Livii, Aufidii Bassi et Cremutii Cordi, testimonia producit. Ceterum non intercedam, si cui nominis ablativo opus videatur, quominus ex Turic. scriptura eruatur *superior eo.* Utram emendandi rationem probaveris, hoc simul apparet, verba mox sequentia *qui olim nominabitur, nunc intelligitur* non posse de homine dici, qui apud posteros perfecti scriptoris aliquando claritatem consecuturus sit, sed de laude nominis clari iam promerita: quod quum Weberus ex ipsa memoria Cremutii iam Fabio vindicanda recte perspexisset, *nominabatur* ostendit suo iure legendum esse pro *nominabitur*, id ipsum quod revera nunc, ut vidimus, Turic. fert,

7) *Sermone* non notavit Weberus.

8) T. I. p. 103. Cf. Bonnell. Lex. p. 22. Ex aliis scriptoribus cf. Senecae Epist. 49. Sueton. Tib. 44: *Maiore adhuc.*

et hoc quidem sensu: „illum scriptorem prius in ore tantum hominum versatum, sive nomine tantum fuisse notum, nunc vero ipsum cognosci perspicique posse.“ Quae quo modo cum fatis, quae Cremutii annales passi sunt, concordent, egregie idem Weberus explanavit, haud minore laude dignus in iis quae ad constituenda verba sequentia contulit: quae quum cuivis pateant, omittere possem, nisi hac in parte Weberum et Nipperdeium dissentire deprehendissem, atque ad rationem, quam instituit ille, perficiendam addendum aliquid videretur, ut opinor, haud ineptum. Verba scilicet in lemmate supra exhibito, ut nunc vulgantur, omnium consensu, vel explicatione vel correctione indigent. Levis momenti est quod pro bene testato *nocuerit* deteriores libri *nocuerat* exhibent, neque hoc ipsum, ut infra apparebit, probabile: gravioris vero quod Turic. et Flor. (hic a pr. m.) pro *ei* praebent *vel;* Almelov. *illa,* in quo, ut Weberus suspicabatur, *illi* latere posset. Ex his iam Nipperdeius effecit *quamquam circumcisis quae dixisse voluerit,* parum sollicitus de iis litterarum elementis, quae post *dixisset* codices universi addunt: quae si Bonnellius quoque omisit, non irascor in loco desperato, cuius rationem veram non perspiciebat, etiam violentiores ausus licere opinanti; libris enim utique repugnantibus hic edidit: *habet amatores nec imitatorem, ut cui libertas, quanquam circumcisis quae dixisset, nocuerit.* At in talibus commentis non vacat diutius immorari, quam in superiorum aetate hominum hariolationibus, quarum partem alii exagitarunt, partem tacere praestat, ex Frotscheri commentariis, si lubet, petendis [9]). Unum Freundii conamen iuvat advertere, ab editoribus non observatum, aut consilio tramissum, quo pateat quo libidinis damnandae hominem sanum desperatio abduxerit: *Habent amatores, nec immerito, sublimitas et libertas, quibus, quamquam-dixisset, non valde nocuerit* [10]). Sed Nipperdeius, ad quem redeo, vellem lectionis ab se confictae rationes explicuisset: quae non aliam admittere videtur sententiam, quam ut verba auctoris aut ab ipso aut ab alio aliisve quibusvis circumcisa esse censeantur. Illud vero in homine, qualem Cremutium fuisse constat, ne cogitari quidem posse demonstravit Weberus p. IX, et ante eum perspexerat Carol. Ritterus [11]), neque voluisse videtur Nipperdeius: alterum recte habet, sed eo difficilius ex lectione proposita colligitur, quo illud ipsum, quod coniectando infertur *dixisse voluerit,* obscurius dictum est: exspectasses enim *dicere.* Praeterea ut perspicua esset sententia, aliquo modo significandum fuerat, a

9) Adde Paedag. phil. Litteraturbl. 1827. No. 27. p. 238. Iahnii Jahrb. Vol. LXV. p. 206. Eichstadii Prol. acad. Ien. 1827, qua „Dehortatur prologus a contorta et difficili interpretandi ratione“, p. 10 sq.

10) Jahnii Jahrb. Vol. XIII. p. 292.

11) Schneidew. Philol. VI. p. 753.

quo vel a quibus circumcisio illa facta esset, ut ne quis de auctore ipso cogitaret. Huic desiderio ut occurreret, Weberus adscita vulgari lectione *ei,* a Bamb. comprobata, unaque litterula addita, cuius omissio facillima est explicatu, scripsit *nocuerint* [12]), hoc sensu, quem lubet ipsius interpretis verbis p. IX explanare: „factum esse, ut iidem, qui amatores libertate Cremutii delectarentur, tamen liberae eius orationi *nocuerint,* hoc est virtutes orationis detrectaverint viresque eius attenuaverint eo, quod annales Cremutii iis quae *dixisset* vel scripsisset si intacta et integra mansissent [haec abesse vellem] *circumcisis,* id est amputata quasi verborum copia et resecto orationis ornatu, in breve contraxissent vel coegissent." Tale aliquid libris a Cremutio relictis accidisse, ostendit vox *circumcisis,* quocunque modo explicueris, idque eo probabilius redditur, quo pluribus Weberus exemplis eius generis epitomas clarorum scriptorum a cultoribus ipsis confectas exstitisse demonstravit [13]).

12) Coniunctivum indicativo praestare existimo propter verecundiam, ut ait Weberus, qua ut alibi sic hoc loco Fabius iudicium suum expromit. Observasse enim mihi videor, voci *quamquam.* ubi est concedentis et dubitantis, Fabium iungere coniunctivum, ubi affirmantis et extollentis, indicativum. Paucis defungamur exemplis. VI, 3, 18: *quanquam, et ridicula oporteat esse salsa.* X, 1, 33: *Adde quod M. Tullius ne Thucydidem quidem aut Xenophontem utiles oratori putat, quamquam illum bellicum canere, huius ore Musas esse locutas existimet.* Contra indicativus reddendus X, 7, 5 ubi vulgatur: *Nec satis est non ignorare quae sunt causarum iudicialium partes, aut quaestionum ordinem recte disponere, quamquam ista sint praecipua,* et ita codices universi praeter unum Bamb. exhibentem *istass praecipua,* (sint supra scriptum) unde quum constet ex Enderleinio, ex altera hac manu ceterorum codicum lectiones plerumque conflatas esse, relinquitur genuinae scripturae *ss,* quod in utrumvis modum interpretari licet. Quare perdubium mihi est an recte *sint* Bonnellius ad fidem optimorum codd. scripserit I. Prooem. 6, ubi vulgatur: *quem, cum amicissimum nobis tum eximio literarum amore flagrantem, non propter haec modo (quamquam sunt magna) dignissimum hoc mutuae inter nos caritatis pignore iudicabamus,* quum praesertim facillimum illum in his modis, *sunt* et *sint,* lapsum librariorum recogito, in coniunctivum multo procliviorum: cuius generis errores ad Ciceronem de re publ. passim notavi.

13) Aliter statuit Ritterus l. l., qui quum plurimorum opinionem Tacitum a Quintiliano dici credentium olim secutus esset, nunc Cremutium agnovit atque proposita coniectura *quae dixisset, emacuerit* hoc circumcisionis opus Marciae Cremutii filiae vindicare studuit. Cui coniecturae, ut de auctoritate verbi *emacendi* non satis tuta nihil dicam, hoc obest quod eius facti sane memorabilis non modo nulla ad nos pervenit memoria, sed Seneca Consol. ad Marciam I, qui solus vulgatorum posthac per filiam patris Annalium memoriam servavit, tantum abest ut talis mutationis mentionem iniecerit, ut eo modo verba faciat, quo vel pro ipsa filiae erga patrem pietate atque pro mutato rerum publicarum statu contrarium probetur. *Ut vero* inquit, *aliquam occasionem mutatio temporum dedit, ingenium patris tui, de quo sumptum erat supplicium, in usum hominum reduxisti, et a vera illum vindicasti morte, ac restituisti in publica monumenta libros, quos vir ille fortissimus sanguine suo scripserat. Optime meruisti de Romanis studiis: magno illorum pars arserat. Optime de posteris: ad quos veniet incorrupta rerum fides, auctori suo magno imputata. Optime de ipso: cuius viget vigebitque memoria, quamdiu fuerit in pretio Romana cognosci; quamdiu quisquam erit, qui reverti velit ad acta maiorum; quamdiu quisquam, qui velit scire, quid sit vir Romanus; quid subactis iam cervicibus omnium et ad Seianianum iugum adactis, indomitus sit homo, ingenio, animo, manu liber. Magnum mehercule detrimentum respublica ceperat, si illum ob duas partes pulcherrimas in oblivionem coniectum, eloquentiam et libertatem, non eruisses.*

Simile exemplum insigne Granii Liciniani fragmenta nuper ad nostram notitiam perlata praestare creduntur. Talem epitomen Cremutii Annalium Senecae rhetori deberi eamque fortasse Quintilianum ipsam, ista quum scriberet, in mente habuisse, Weberi est coniectura, eam ob causam parum probabilis, quod philosophus Seneca, ut iam patet, illibata adhuc Cremutii scripta norat: sed ut certum est Cremutii unam alteramque epitomen existisse, ita etiam ex verbis quae sequuntur *deprehendas etiam in iis quae manent* certum fit, Quintiliani certe aetate vix alia Annalium exemplaria praesto fuisse quam quae concisionem passa essent. Quod si concesseris, simul consectarium est, quum iam non de circumcisione recens, sed olim facta cogitari oporteat, non bene convenire tempora in verbis *habet* et *nocuerint:* quod dissidium ad illud ipsum me revocat, cuius gratia placuit Weberi disputationem prolixius excutere, nempe ut adiiciam promptam adesse huic vitio medicinam, si *habent,* quod pro *habet* Turic. exhibet, falso scriptum pro *habuit* mecum censeas, quod quam facile in illud abire potuerit nemo est qui non videat.

Totius iam loci scriptura mea de sententia hunc in modum concinnanda est: *Superior adhuc exornat aetatis nostrae gloriam vir seculorum memoria dignus, qui olim nominabatur, nunc intelligitur. Habuit amatores, nec immerito, Cremuti* [14]) *libertas, quamquam circumcisis quae dixisset ei nocuerint. Sed elatum* etc.

§. 105.

quum praesertim non sit id propositi, ut eum Demostheni comparem.

Ex Flor. solo, ut videtur, Spaldingius ordinem verborum *non sit id* suscepit, probatum ceteris praeter Herzogium editoribus, qui recto iudicio ductus *non id sit* scripsit ad fidem plurium codd. quibuscum etiam Bamberg. facit. Turic. certe *id non sit.* Etenim *id* ut verbo praeponatur et ratio et usus flagitat. III, 6, 21: *viderimus tamen utrum id sit, an in eo status.*

Legitur, floret, in manus hominum, in pectus receptus, vetustatem nullam timet. Talis patris filiam, qualem Seneca pinxit, verisimile duxeris animo permisisse, ut virtutem patris circumcidendo eius libros elevasset? Adde quod teste Dione Cassio LVII, 24 Cremutii libri quum aequalibus restituti essent, his etiam ἀξιοσπουδαιότεροι propter auctoris sortem iniquam visi sunt. Ceterum Senecae locum integrum exhibui, quo simul docerem, talem virum a Quintiliano, nisi temeritatis vel malevolentiae accusari voluisset, in recensu scriptorum impune tramitti non potuisse: simulque hoc patet, in laudibus, quibus Cremutium extollit, tam suum quam aequalium iudicium eum expressisse.

14) Ad hanc formam genitivi, de qua dictum ad §. 90 Fabio vindicandam invitant ipsa codicum vestigia.

§. 106.

Quorum ego virtutes plerasque arbitror similes, consilium, ordinem dividendi, praeparandi, probandi rationem, denique, quae sunt inventionis.

Bonnellius, postquam sententiae intercidendo post v. *ordinem* succurrit: neque enim potest recte iungi *ordo dividendi,* neque sana ceterorum gerundiorum distributio exputari potest; in recto iudicio sibi non constitit, quum *omnia* ante *denique* insertum, quod cum Spaldingio Frotscherus ad fidem potiorum librorum, Bamb. nunc, fortasse etiam Parisiensium auctoritate suffultam, deleverat, revocandum duceret, scilicet deceptus vulgari illo loquendi genere, quo in fine enumerationis plurium membrorum reliqua voce una *omnia* vel *cuncta* comprehendi solent, veluti §. 119: *Nam et vocis, quantum in nullo cognovi, felicitas, et pronuntiatio vel scenis suffectura, et decor, omnia denique ei, quae sunt extra superfuerunt.* c. 3, 9: *res facilius se ostendent, verba respondebunt, compositio prosequetur, cuncta denique ... in officio erunt.* XII, 11, 1: *in iudiciis, consiliis, concionibus, senatu, in omni denique officio.* IX, 2, 7, ubi exemplis figurati generis, quod tractat, appositis adiicit: *et totus denique hic locus,* scilicet Ciceronis, cuius ex Catilinaria antea exemplum attulerat. VI, 2, 18: *Denique hoc omne bonum et comem virum poscit.* Similiter Terentius Andr. III. 3, 25: *Nempe incommoditas denique huc omnis redit, si eveniat ... discessio,* et Eun. I, 2, 78: *Nempe omnia haec nunc verba huc redeunt denique.* Quorum exemplorum ea ratio est, ut quae antea enumerata sunt singula, nunc in unum comprehendantur nihilque novi in clausula adiiciatur, quod secus fit in loco, quem tractamus, quo quatuor membra afferuntur, consilium, ordo, ratio, inventio, quibus virtutum, quibus Demosthenes et Cicero similes sibi sint, enumeratio constat: prorsus ad eam rationem, qua Fabius VI, 3, 101 quatuor membra itidem enumerat: *persona, locus, tempus casus denique,* ubi si *denique* recte postponitur, idem fieri loco nostro in structura relativi pronominis commode non poterat. Neque hanc vocis sedem initio sententiae aspernatus est, v. XII, 10, 76. 11, 26, VI, 2, 18.

§. 107.

Salibus certe et commiseratione, qui duo plurimum affectus valent, vincimus.

Rursus defecerunt iniuria editores a codicum scriptura, quorum Turic. Flor. (hic ab utraque m.) Bamb. Almelov. et Paris. 2 *affectibus,* in qua lectione patet *in,* quod Flor. m. 2 et Paris. 2 recte suppeditant, in ceteris libris a praecedenti syllaba *um* absorptum esse: qua scriptura nihil verius et aptius, quum praesertim cum Flor. 2 m. et Paris. 2

qui in *quae* mutaveris. Atque maximae offensioni ipsa est vulgata. Quomodo *sales* dici potuerunt affectus? Immo salibus affectus movetur, quemadmodum „risum movendo iudicis tristes solvi affectus animumque aliquando refici", ipse Fabius ait VI, 3, 1. Affectus enim intelligit non quibus ipsi moveamur, sed quos moveamus in aliis. XI, 3, 58: *Quid vero movendis affectibus contrarium magis quam, cum dolendum, irascendum, indignandum, commiserandum sit, non solum ab his affectibus, in quos inducendus est iudex, recedere.* Idem XII, 10, 62: *Hic iram, hic misericordiam inspirabit: hic dicet „te vidit et appellavit et flevit": et per omnes affectus tractatus huc atque illuc sequetur, nec doceri desiderabit,* scil. iudex, quem non opus ut violenta machinatione in contextum cum Bezzenbergero introducamus, totum locum ita scribi iubente [15]): *hic cum dicet, iudex et applaudet et flebit et per omnes affectus tractus huc atque illuc sequetur,* in quibus saltem verum *huc atque illuc,* quod pro vulg. *hic itaque illuc* Bonnellius nunc suscepit, suasore eius lectionis non nominato. Tum postquam quid sit ἦθος exposuit, Fabius VI, 2, 20 de affectu, qui idem sit ac quod Graece πάθος dicatur, his pergit: *Haec pars circa iram, odium, metum, invidiam, miserationem fere tota versatur.*

> *In epistolis quidem, quamquam sunt utriusque, dialogisve, quibus nihil ille, nulla contentio est.*

Pergit in comparatione Demosthenis et Ciceronis. Ad v. *ille,* ab ipso pro *illo* repositum, quod subsecuti editores ad Bonnellium usque cupidius quam prudentius susceperunt, Spaldingius adnotaverat: „Orationem vero hic ego non praestem, neque exemplis similibus illustrem. Saltem *in* inseram ante *quibus,* ut subaudiatur *effecit, protulit.* Nisi forte *simile* reponas ante *ille.*" His permotus Frotscherus: „Fallor, inquit, an legi potest *cum quibus nihil illi,* quod diceretur ea fere ratione, qua solet notissima illa formula, *Quid mihi cum hac re?* Cic. pro Quint. c. 18 (Schütz): „Quid mihi, inquit, cum ista summa sanctimonia ac diligentia?"" Adde quod etiam propius ad rem accedit, Ovidii Fast. II, 308: *nihil mihi vobiscum est,* et Terentii Phorm. I, 3, 74: *Postremo nil rei nobis est.* Non vana illa Frotscheri suspicio, quum praesertim reputaveris omnium librorum optimos, Turic. Flor. Almelov. cum Bamb. pertinaciter consentire in lectione *illi,* ita ut non tam quaerendum videatur, qui *ille* explicemus, id quod explicatione egere Spaldingius ipse intellexit, sed num qua ratio inveniri possit, qua *illi* tueri possimus: certe vix alia ulla aptior quam Frotscheri, quae et mihi olim in mentem

15) Emendationum delectu scriptioni inserto, qua Philologos Dresdae a. 1844 congressos Gymnasii Blochmanniani doctores, Bezzenberger, Schaefer et Curtius salutarunt.

venerat, reperiatur. Nam totum hoc comma delere, quod nescio quis deteriorum codicum auctoritate fretus proposuit, est nodum praecidere gladio [16]).

§. 109.

Nec vero quod in quoque optimum fuit, studio consecutus est tantum, sed plurimas, vel potius omnes ex se ipso virtutes extulit immortalis ingenii beatissima ubertate.

Ita quidem Spaldingius, sed adiecta nota: „Si *ipsa* esset in MSS. praeferrem alteram scripturam.“ Videlicet *ubertas*, quod in tantum non omnibus codd. legitur, uno excepto Gothano, cuius fidem nullam paene esse constat: quam lectionem, nunc etiam Bonnellio probatam, Enderleinius p. 9 ita munivit, ut constructionis incommodae offensionem tolleret citato Bonnellio Lex. p. LXXIV. sq. ubi eius generis synesis comprobatur exemplis, quibus efficitur ut etiam *ipso* locum suum possit retinere. Sed nondum persanatus hic locus est, quandoquidem obtemperandum est Bambergensi, *omnes* omittenti, cuius auctoritatem inde a §. 107 omnium librorum maximam esse demonstravit Enderleinius Comm. I. p. 7. sq. Quicum egregie facit Flor. m. s. totum locum eo modo praestans, quo Fabium eum conscripsisse admodum probabile est, *sed vel plurimas potius ex se ipso — beatissima ubertas.*

dono quodam providentiae genitus, in quo totas vires suas eloquentiae experitur.

Ut error veritatem parit, ita patefacta veritate utile nonnumquam est erroris rimari causas. Itaque iuvat adnotare in Bambergensi olim post *totas* additum fuisse *laus Ciceronis,* quae verba etiam si a librario punctis infra positis non condemnata essent, nemo foret, quin ex margine adscita et inconsulto contextui inserta esse illico perspiceret. Quod genus corruptelae supra §. 54 Part. IV. p. 8 tetigimus in verbis *iudicium poetarum,* quae quum pro emblemate habenda esse assentiente Censore meo [17]) ostendisse mihi videar, eorum loco quod vulgabatur parum testatum, *poetarum iudices,* retinere maluit Bonnellius, de Bambergensi, qui cum ceteris melioribus libris *poet. iudicium* exhibet, non sollicitus: quod vitium in Bamb. relictum esse sine nota non mirabere, si correctricem manum illi capitis primi loco adhuc defuisse reputaveris: quae ut hic *laus Ciceronis* dispunxit, idem, opinor, loco illo factura fuisset. Eadem virtus Bambergensis cognoscitur in voce mox sequente *vires,* cui quod in libris nonnullis ferebatur *virtutes* recte cedere oportuit: ille enim *virtutis* punctis notatum, supra vero scriptum *vires.* Vera loci scriptura corrupta fuit in Turic. in *at curas,* in Flor. *alias vires,* quibus scribliginibus nihil aliud quam varians lectio in margine significata fuit,

16) Ephem. litt. Ienens. 1824. No. 146.

17) Iahnii Jahrb. T. LXIV. p. 429.

quae cum ipsa nota adnotantis *alias* textui intrusa est. Aliud eiusdem corruptelae exemplum dabimus ad §. seq.

§. 110.

Cui tanta unquam iucunditas affuit?

Frotscherus: „Turic. Flor. (hic a pr. m.) *alicui quanquam.* Suspicatur Spald. fuisse *aut cui.* Credo. Nisi forte malis *aut cui unquam tanta* etc. Alioquin quid sit *quanquam,* parum intelligere me fateor.“ Neutrum verum integerque siquis alius hic locus. Elementa enim *ali* librariorum sedulitati debentur, qui, ut §. 109, quod ad notandam variantem lectionem adscriptum repererant cum ipsis scriptoris verbis commiscuerunt: quod egregie demonstrat scriptura Bamb. hunc in modum exhibita *cui tanta unquam.* (*al. tanquam.* above *tanta unquam*) Cf. varietatem lectionis apud Spald. ad §. 115.

§. 111.

quae vix singula quisquam intentissima cura consequi posset.

Flor. post *quisquam* addit *et,* quod non temere Frotscherus ortum putat. Ego scriptum suspicor *vel,* si quid huic lectioni, qua carent ceteri codices, omnino tribuendum est.

§. 111.

qua nihil pulchrius auditu est.

Recte nunc quidem Frotschero auctore ad codicum fidem vulgatur *auditum est,* quod solus Gernhardius respuit. Sed non item sentio de Spaldingii commento, qui voce *quae,* quae a Turic. Flor. et Bamb. post *nihil* inseritur, in *unquam* mutata locum, applaudente uno Frotschero, restitutum esse sibi persuasit. Mihi quidem admodum probabile est, librariis male doctis deberi, qui concoquere non possent relativum pronomen uni verbo postpositum: scriptum enim a Fabio repererunt *nihil qua,* quae quidem pronominis sedes insolentior, sed tamen ita exemplis idoneis firmata, ut de usu eius dubitari nequeat. V. Part. IV. p. 18.

§. 112.

Quare non immerito ab hominibus aetatis suae regnare in iudiciis dictus est.

Ut sana credam verba ab *omnibus aetatis suae,* quemadmodum in melioribus codd. legitur, aegre adducor, non quod ita dici potuisse negem, sed quod absonum videatur, quod vulgo sane de Cicerone oratore ferebatur suo tempore praeconium, id a Fabio *omnibus* tribui. Poterat iudicium illud appellare *aequalium, vulgi,* vel similiter, vix

vero *omnium*. Nam alia ratio eiusdem phraseos §. 28. Quare non probo quod *omnibus* Bonnellius scripsit, quum praesertim cum Enderleinio frequentis illius erroris recordor, quo *homines* et *omnes* in Mss. confundi solent.

§. 126.

Quem non equidem omnino conabar excutere, sed potioribus praeferri non sinebam, quos ille non destiterat incessere, cum diversi sibi conscius generis, placere se in dicendo posse, quibus illi placerent, diffideret.

Ab hac lectione Bonnellius descivit scribendo *quibus illi placent,* invitis, opinor, Quintiliano atque etiam Seneca, cuius ille mentem explicat. Non agitur enim de hominibus iis, quibus Seneca placere cupisset, sed de placendi studio etiam in iis generibus, in quibus alios placere vidisset: hos igitur, suis ipsius viribus diffisus, Seneca invidia prosecutus est, Fabio merito improbata. Haec, ni fallor, loci ratio; a qua praesens *placent* alienum esse, res ipsa docet in iudicio Senecae ipsius apposito, non Quintiliani. Unde simul sequitur, magis perspicuam fore orationem revocando *in* ante *quibus,* quod cum Flor. praestant Bamb., licet hic punctis infra positis, et Camp. vitiose exhibens
re
possem quibus. Scilicet Bamb. quum *placent* exhibere videret, Bonnellius quod prima manus scripserat amplexus, non reputavit etiam esse ubi altera, quamvis plerumque in corrumpendis sanis sibi placeat, genuinam lectionem praestet, quod v. c. factum
cum
§. 123 in scriptura *etiam,* vel etiam statim in sequentibus, ubi eadem conditio codicis in voce *eo (ab eo defluebant).*

§. 130.

Nam si aliqua contemsisset, si parum non concupisset, si non omnia sua amasset, si rerum pondera minutissimis sententiis non fregisset: consensu potius eruditorum, quam puerorum amore comprobaretur.

Convenit inter viros doctos de vitio, quo genuina loci scriptura in v. *parum* occultata sit: nec tamen quod in re desperata accidere solet ut affecto loco medicinam paraturi undecunque adcurrant, hic factum est: nam rationem non habeo eorum tentaminum, quibus nonnulli *parum* servari vel contorta explicatione posse confisi sunt. Ut omittam Buttmanni audaciam, qui servato *parum* iuxta excidisse putarit *concupiscenda* vel *convenientia*, vel quod criticus quidam alius restituendo *parrum* pro *parum* locum sanari sibi persuasit [18]): unam Madvigii [19]) iuvat adnotare coniecturam *partem,* Zumptio olim

18) Philol. paed. Litteraturbl. 1827. No. 27. p. 239. 19) Seebodii Krit. Bibl. 1828. No. 79. p. 630.

probatam, nunc a Bonnellio in textum susceptam, quam non ante Latini sermonis proprietati convenire concedam quam magis idonea eius locutionis exempla in medium producta videro. Quae enim contulit Bonnellius (Seebodii Bibliothecam inspicere non licet), ex illo genere loquendi notissimo sunt, quo *pars* in partitione sequentibus *alii, ceteri, multi, quidam, nonnulli* etc. frequenter dicitur: cui adstruendo non opus erat exemplis: in quo usu insuper advertendum est *pars* non aliter quam casu nominativo dici solere [20]), nisi ubi genitivum secum habet ut in his Caesaris B. C. I, 58: *Partem navium deprimunt, nonnullas cum hominibus capiunt, reliquas in portum compellunt,* quae ab isto usu alienissima sunt. Sed ut largiamur illud bene posse dici: quid, quaeso, est *concupiscere partem,* cuius de toto non constat? Itaque ad conjectandum relictus est campus, quem denuo aperuisse iuvit: nam quod mihi in promptu est, mihimetipsi diffidens promo: promo tamen, quoniam sententiae loci apprime satisfacere videtur. Quid? si pro *parum* legamus *totum,* hoc sensu, ut Seneca partibus singulis non contentus, omnes ingenio suo et arte pariter consequi concupisset.

Libri X caput primum postquam pro consilio meo commentatione quasi perpetua adnotare institui, atque ad finem eius iamiam perveni, nunc mutata ratione, quae eiusdem libri capita restant, ita perlustrare iuvat, ut excerptos tantummodo singulos aliquot locos in examen vocem, quippe ad finem harum lucubrationum septemdecim abhinc annis susceptarum et per varia temporum discrimina continuatarum [21]) properans, sed ita properans, ut quum videam Fabio aliquatenus valedicendum esse, quem longum per tempus fovi tanquam amicum vitaeque comitem non sine magna animi voluptate ingeniique recreatione, illis iam ea quae ad reliquos huius scriptoris libros adnotanda in promptu habeam, in mantissa observationum praemittam hisque exactis toti huic opellae meae qualicunque finem imponam.

Libri I, 1, 2.

Hebetes vero et indoles non magis secundum naturam homines eduntur quam prodigiosa corpora et monstris insignia.

Quamquam *hominis* ut scribatur ex ipsa sententiae ratione flagitari Meyerus perspexit eamque lectionem suscepit, id quod ante eum Censor Ienensis 1825. p. 94, quem

20) Exemplorum nubem dabit Horatius Tursell. v. *pars* p. 637 ed. a. 1751.

21) Particula prima prodiit a. 1841, secunda a. 1842, tertia a. 1845, quarta a. 1856, quinta a. 1857.

Sarpium esse ex Meyero doceor, iam perspexerat, Bonnellius tamen in vulgata lectione maluit perseverare, nihili habita fide librorum Turic. Lassb. Amb. I, nihili admonitione Gernhardii, qui eam lectionem sibi commendari iam ante Meyerum dixerat.

2, 4.

Corrumpi mores in scholis putant: nam et corrumpuntur interim, sed domi quoque. Assunt multa eius rei exempla, tam laesae hercle, quam conservatae sanctissime utrobique opinionis.

In fluctuatione codicum, vel *et sunt* vel illud quod supra ex editione Spaldingii transcripsi, exhibentium nihil probabilius quam hoc ipsum, insuper productum ex Mss. Pall. a Pareo Lex. crit. v. *adesse domi,* eandem phrasin ex Plauti Epid. I, 1, 7 afferente.

5, 24.

aut flexa pro gravi ut apice circumducta sequente, quam ex duabus syllabis in unam cogentes, et deinde flectentes, dupliciter peccant. Sed id saepius in Graecis nominibus accidit: ut „Atreus", quem nobis iuvenibus doctissimi senes acuta prima dicere solebant, ut necessario secunda gravis esset; item „Terei Nereique."

In his *Atreus* ut sanum crederem, mihi numquam persuasi, quandoquidem de duplici hic errore agitur, quo et flexa pro gravi posita esset et ubi hoc in coitu duarum syllabarum in unam coactarum fieret: qui error ad eam verbi conditionem spectat unice, quam repraesentat eius formae exemplum, post *ut,* ut recte scripserunt pro *aut,* necessario pro *apice,* cuius mentio prorsus aliena a loco est, restituendum, sive hoc fuerit *Appi,* ex *Appii* contractum, sive aliud, quod ad traditam codicum scripturam etiam propius accedat. Atque hanc esse auctoris mentem ostendunt verba *item Nerei Tereique* (hunc verborum ordinem recte nunc ex codd. revocarunt) quae non patiuntur, ut ab hac ratione quod prius apposuit exemplum *Atreus* exemptum credamus, quod fieri, re non satis perpensitata, sibi persuaserat Ritterus Elem. gramm. lat. p. 51, simplicem tantum in ea voce errorem agnoscens. Neque potest nominativus *Atreus* ita defendi ut quum bisyllabum proprie sit, nunc trisyllabum dicatur, quod etsi ab usu non prorsus abhorruerit, tamen citra consuetudinem est, poetis solis usurpatum, quorum auctoritate sibi imponi passus est Consentius de barb. 6. p. 9, ubi de *Orphĕŭs* verba facit. Alia vero ratio genitivi, cuius legitima forma in *eï* exit, quemadmodum illud ipsum *Terei* in clausula trimetri iambici in versu citato a Mario Victorino p. 2574, vel *Nerei* apud Livium Andr. et Pacuvium, et alia id genus alibi passim reperiuntur. Quodsi genitivus etiam in unam syllabam *ei* exiens deprehenditur, ut *filia Nerei* apud Verg. Aen. VIII,

382, id tamen cave cum Aspro apud Servium ad Aen. l. l. ex usu repetas maiorum, ut ait, qui nominativum misissent in *es*, unde genitivus *Tydeis* et tum *Tydei*, omissa litt. *s*, prodiisset: nam patet illam formam poetarum synaloephae unice deberi, quam ipsam Fabius reprehendit. Haec quum ita sint, adhuc non piguit me coniecturae quadraginta amplius annis factae *Atrei*.

Libri III, 6, 59.

Sed quod ipsius de his libris iudicium fuerit, supra dixi. Sunt enim velut regestae in hos commentarios, quos adolescens deduxerat, scholae: et si qua est in his culpa, tradentis est: sive eum movit, quod Hermagoras prima in hoc loco posuit exempla ex quaestionibus iuris; sive, quod Graeci πραγματικοὺς *vocant iuris interpretes. Sed Cicero quidem* etc.

Excerptae ex Ciceronis libro Rhetoricorum primo definitioni status negotialis supra scripta verba Quintilianus eo fine subiicit, ut quomodo falsa illa definitio a Cicerone tradita excusetur, videlicet conditione iuvenilis ingenii partim a praeceptis magistri pendentis partim ex aliis ipsius erroribus, quos verbis *sive eum movit — interpretes* indicavit, appareat. Culpam igitur ait fuisse aut tradentis, aut in errorem abducti exemplorum ab Hermagora positorum sede vel interpretatione v. πραγματικοί. Haec sufficient ad declarandum orationis processum, in quo nihil video turbatum, quod vidit Heusdius De Aelio Stilone p. 105, qui ideo in suspicionem vitii abreptus, transpositione colorum locum iuvari hac sibi persuasit, ut statim ab initio post Ciceronis verba ipsa ponerentur inferiore loco scripta: *sive eum movit — interpretes.*

Libri IV, 2, 131.

,sicut pro Tullio Cicero, „Fundum habet in agro Thurino M. Tullius paternum

„Institutionum editio Parisiaca anni MDXLII habet *in agro Tigurino,* ut et codex unus Ambrosianus Quintiliani. Verum longe rectius aliae editiones *in agro Thurino*, quod confirmant tres codd. Ambrosiani eiusdem Quintiliani. Reapse quis praedium divitis viri romani inter montes potius Helvetios, quam in Lucaniae beato agro requirat?" Ang. Maius ad Cic. pro Tullio p. 27. ed. Frcf. Recte: adde quod quum *ager Thurinus* omnibus notus esset (v. Caes. Civ. III, 22. Liv. XXXIV, 53), ubi praedii situs accurate indicandus erat, Cicero obscuro illa aetate nomine *agri Tigurini* id assequi vix potuisset. Aliam causam Heinrichius Tull. orat. fragm. p. 73. Urgere nolo, quod insuper Turic. eam ipsam formam, qua Cicero usus fuerit, praestet *Turino.*

5, 5.

propositis enim probationibus omnis in reliquum gratia novitatis praecerpitur.

Postremum verbum quod edi solet, nullo, quantum sciam, codice exhibetur. Hi enim aut *praecipitur* aut *praecepitur,* quod plerumque a manu secunda in illud mutatur. Itaque cautus certe fueris, si quod per se nullam habet offensionem, non eliminaveris. Optime tamen, fatendum est, habet vulgata lectio, usu tum aliorum scriptorum (v. Arntzen. ad Plin. Paneg. 58) tum Plinii comprobanda, qui quum Epist. V, 20 scriberet: *ne gratiam novitatis et florem, quae oratiunculam illam quam maxime commendat, epistolae loquacitate praecerpam,* fortasse praeceptoris sui verba mente recoluit.

Libri VIII, 3, 21.

Caput opponis, cum eo coniscans.

Non probo quod Bonnellius ex librorum omnium lectione *conificans* de coniectura scripsit *cornificans,* quod verbum vereor ne sensu careat. *Conificans* error est librariorum in voce rariore pro eo, quod Badii acumini debetur.

Libri IX, 3, 8.

— „*qui non risere parentes*
nec deus hunc mensa, dea nec dignata cubili est";
ex illis enim, qui non risere, hic quem dignata.

Est locus Vergilii Ecl. IV, 64 vexatissimus, cui restituendo tandem Quintilianus ita cum fructu adhibitus est, ut certe de lectione *qui,* cuius loco et poetae et rhetori *cui* vindicare studuerant, nulla amplius dubitatio relicta sit. De quo loco bene meruerunt Nauckius et qui eius commenta in examen vocavit Klotzius [22]), quorum hic praeterea, *parentes* ut cum v. *qui* recte iungi posset, accusativi usum verbi *ridendi,* non deridendi, sed arridendi hic vi positi, vindicavit uno Plauti exemplo ex Capt. III, 1, 20 allato. Poterat etiam alia afferre, quae apposuit Handius ad Statii Herculem epitrapezium vs. 15. Haec quum satis stabilita esse videantur, ignoramus, fatendum est, quid Bonnellium adduxerit ut edendum curarit *qui non risere parenti,* quod se partim de aliorum partim de sua coniectura adnotat scripsisse. *Parentes* namque et Vergilii et Fabii libri, quantum sciam, tuentur universi.

22) Jahn Jahrb. Vol. LIII. p. 227. sq.

§. 77.

Sed in quaternas quoque ac plures haec ratio ire sententias potest. Fit etiam singulis verbis: „Hecuba, hoc dolet, pudet, piget."

Multis de hoc loco, cuius scripturam Bonnellius sine ulla nota repetiit, olim disputavit Lange Vindic. trag. rom. p. 48, refutaturus scilicet facto continentiam meam, qui, in manifesto scripturae vitio, manum scriptoris divinare difficile vel adeo temerarium censuissem, Anal. crit. p. 141. Quum enim ad restituendam exempli allati formam ὁμοιοτέλευτον, ut monueram, quartum aliquod vocabulum desideraretur, hoc Lange reperisse sibi visus est in his poetae incerti versibus a Cicerone de div. I, 31 laudatis:

Neque me Apollo fatis fandis dementem invitam ciet,
virgines vero aequales patris mei, meum factum pudet,
optumi viri: mea mater, tui me miseret, mei piget,
Optumam progeniem Priamo reperisti extra me: hoc dolet.

Hunc locum quum Fabius non potuerit non animo habere, reddendum ei censuit Lange *ciet* in principio exempli, verba ***Hecuba,*** fortasse etiam ***hoc,*** a glossatore quodam profecta existimans. Quae quidem tam speciosa et ad veritatem quam proxime accedere videntur, ut imperitum sane fallere possint: ego vero diligentiam viri acutissimi alioquin probatam desidero. Etenim ut non premam in Fabii exemplo mutatum singulorum verborum ordinem, quem cur deseruerit idonea non exputatur ratio, Langium miror fugisse, quod in re manifesta olim non adnotaram ut superfluum locum accurate introspicienti, de exemplo ex dictione poetarum sumpto agi hoc loco non posse, quo de variis ὁμοιοτελεύτων similiumque figurarum generibus in prosa oratione unice sermo est atque ineptiae vel inopiae incredibilis Fabium coargui, si suam in rem ex illo poetae loco exemplum confinxisset, quo nihil potest cogitari et a re et a consuetudine auctoris alienius. Nullo autem pacto laudandus Ribbeckius Trag. Rom. rel. p. 202, qui maiorum vestigia secutus verba ***Hecuba, hoc dolet pudet piget*** incertis incertorum fabulis inseruit, de quarto ὁμοιοτελεύτῳ membro non sollicitus: vera enim si sunt quae posuit Langius, cuius rationes Ribbeckius non ignoravit (v. p. 18), sed aut sprevit aut hic recordatus non est, arcenda illa verba patet ex poetarum reliquiis esse: sin improbantur, haud maiore iure pro versu poetae alicuius haberi possunt. At quod Langius in hoc loco manifeste affecto sibi licere ratus est, ut medicinam anquirendi periculum subiret, idem etiam mihi rem quadraginta amplius annis post retractanti licere arbitror. Mihi vero adhuc arridet quod dudum reperi, ut scribatur ***hoc habet*** pro ***Hecuba*** vel ***Haeccuba*** vel ***Heccuba,*** quo modo scriptura codicum exhibetur, eodem-

que sensu quo ea phrasis (vel etiam simpliciter *habet)* a Vergilio Aen. XII, 296 de hoste vulnerato dicitur, bene explicante Servio: „id est letali percussus est vulnere. Apud antiquos enim id erat, *hoc habet,* quod nunc, *peractum est;* sic Terentius: *Certe captus est, habet"*, ad quem locum Donatus: „id est, vulneratus est. Habet enim qui percussus est: et proprie de gladiatoribus dicitur, quia prius alii vident quam ipsi sentiant se percussos etc." Alia eiusdem dictionis exempla suppeditabit ad Vergilium Cerda. Huic loci scripturae minime adversatur quod singulis vocibus omnia membra constare debere exspectaveris. Immo hac ratione usus est Fabius, ut quemadmodum ordo argumenti ipse postulabat, a τρικώλοις ad τετράκωλα pergens hanc ὁμοιοτελεύτων conditionem primum appellaret, ac primum commemorata hac generali ratione, etiam in singulis verbis huius generis ὁμοιοτέλευτα constare subiiceret. Utriusque igitur rationis exempla apposuit, generalis illud quod tractamus, specialis alterum, quod ex Cicerone (II Catil. 1) adscivit notissimum *abiit, excessit, erupit, evasit,* in quo Fabius si ordinem amborum verborum postremorum mutavit, id lapsui memoriae tribuendum.

§. 126.

membratim caesimque dicemus.

Notemus, non propter lectionem variantem *dicimus,* sed colligendi gratia ea omnia testimonia, quae ad Fabii Institutiones spectant, verba illa citari in Placidi Glossis ap. Maium Auct. cl. T. VI. p. 556 et in alio Glossario, quod circa saec. XII scriptum putatur, apud eundem T. VIII. p. 104, hic quidem nomine *Quintilii.*

Libri X, 6, 1.

Haec [cogitatio] *inter medios rerum actus aliquid invenit vacui, nec otium patitur.*

Longe alia codices, ex quibus aliud quiddam olim scriptum fuisse coniicias: quo observato, opinor, Scheibius [23]) illorum vestigia secutus legendum proposuit *nec experitur otium.* Illa tamen loci lectio per se haud mala permansit ad Bonnellium usque, Bambergensis immemorem, huius loci quae ratio sit planum facientis. Hic enim quum praebeat scriptum *vacuum* [i] . . . [nec] *otium* [experientium] *patitur,* pro conditione harum manuum diversarum apertum est, primum recte habere quod vulgatur *nec otium patitur*, et quae in ceteris codd. exhibentur *experientium* vel *experientiam* deberi eidem fonti, ex quo inepta illa Bamb. correctio manavit: tum item *vacuum* genuinum eo magis debere videri, quo

23) Obs. in oratores Atticos, Halis Sax. 1836. p. 55. Novi ex Zeitschr. f. d. Alterth. 1837. No. 32. p. 267.

acommodatius sit Fabii locutioni. X, 2, 22: *Habet tamen omnis eloquentia aliquid commune.* I, 2, 30: *aliquid magnum agere* .. Plura Bonnell. Lex. p. 47.

7, 24.

Ars enim semel percepta, non labitur: stilus quoque intermissione paululum admodum de celeritate deperdit: promptum hoc, et in expedito positum, exercitatione sola continetur.

Facultas eloquendi temporalis comparatur cum arte, quae semel percepta, nihil amittat, et cum stilo, qui item intermissione paulum de celeritate amittat, id quod aliter habeat in facultate illa. Haec scriptoris mens est aperte, cui exprimendae susceptum nescitur unde est ad hunc ipsum diem *labitur,* cuius loco codices ad unum omnes *capitur,* de quo Enderleinius Comm. II. p. 20: „Haec omnium codd. lectio recte a Zptio retracta (= intelligitur, Herzog). Duo verba desiderantur, quae opponantur verbo *continetur;* alterum est *deperdit,* alterum *non capitur.* Vulgatum *labitur* languet, quin immo sensu caret.“ Eandem lectionem etiam ante defensum ierat Petersenus [24]) eo quod v. *capitur* insolentiam alliterationis, quam dicunt, lusu quodam excusaret, quo *percepta* et *capitur* dicta essent [25]), vernaculo sermone ita imitatus: Die Kunsttheorie, ist sie einmal aufgenommen, wird nicht weggenommen.

Libri XI, 2, 14.

an Cranone, ut Apollas Callimachus, quem secutus Cicero hanc famam latius fudit.

Agitur de Simonide et de eo quidem loco, ubi ille deorum ope fuisset servatus, id quod accidisse alii Pharsali tradiderant. Iam illud quod concinentibus libris adhuc vulgatum est *Apollas Callimachus* secure repetiit Bonnellius, neglectis iis, quae ad vitium apertum tollendum contulerant Schneidewinus ad Simonid. p. XI et Prellerus Polemon. fragm.: qui quum *Callimachius* scribi posse p. 176 suspicatus esset, posthac Add. in illius pronuntiavit se acquiescere coniectura *Callimachusque,* quod probarem, nisi simul *quem* in *quos* mutandum esset. Quare malo rem in medio relinquere.

§. 26.

Charmadas.

Quod recte nunc a Burmanno inde legitur nomen, assecutus erat coniectando iam Davisius ad Cic. Tusc. I, 24. Firmavit Bamb.

24) Zeitschr. f. d. Alterth. 1836. No. 94. p. 753.

25) Similiter lusit Plautus Amph. II, 2, 188: *Tu si me impudicitiae captas, non potes capere.*

3, 55.

Id* βράγχον *Graeci vocant.

Vide, si tanti est, quae de scriptura βραγμόν, cuius loco Bonnellius βράγχον retinuit, restituenda adnotavimus Quaest. Hom. III. p. 9. Bamb. BPAMON.

§. 58.

Sed ipsam fori sanctitatem ludorum talarium licentia solvere.

Verba *ludorum talarium,* quibus cum aliis etiamtum Spaldingius offenderat, ab omni vexatione vindicavit egregie Lange Vindic. trag. Rom. p. 47.

§. 73.

Itaque in iis, quae ad scenam componuntur, fabulis artifices pronunciandi a personis quoque affectus mutuantur: ut sit Aerope in tragoedia tristis, atrox Medea etc.

Scrupulos, quos circa Aeropen *tristem* cum Spaldingio suo Buttmannus excitarat, nihil moratus, Bonnellius vulgatam secure repetiit, nescius, egregiam huic offensioni paratam esse medicinam acumine Langii l. l. qui *Merope* scribendum esse vidit, favente ipsa librorum Mss. scriptura, et plane approbante, quod video dum scribo, O. Iahnio [26]). Ceterum lubenter carere posset lector adiectione verborum *in tragoedia,* quum de scenicis personis agi dictum sit constetque abunde ex commemoratis ipsis, utique eas ad tragoediam pertinere; praeterea mox additum *in comoediis,* ubi ad alterum genus personarum harum Fabius transit: quae ipsa commemoratio vereor ne pepererit illud *in tragoedia,* quod mihi quidem, praesertim in ea sede, quam occupat, glossatoris potius quam auctoris manum redolere videtur.

Libri XII, 6, 2.

Modus mihi videtur quidam tenendus ut neque praepropere destringatur immatura frons, et quicquid est illud adhuc acerbum proferatur. Nam inde et contemtus innascitur — Nec rursus differendum est tirocinium in senectutem. Nam quotidie metus crescit etc.

Expedivit hunc locum, in quo pro *et quicquid,* Buttmannus scribi malebat *nec quicquid,* Gernhardius egregie ita, ut doceret, duas cautiones a Fabio praescribi, quarum quaeque indicetur particula *nec,* et verbis *et quicquid — proferatur* eventum potius superioris

26) Gerhard Denkm. u. Forsch. 1854. No. 66. p. 227.

admonitionis exprimi: his membris duobus subiici in modum fere parentheseos sententias explicativas particula *nam* iunctas; postremo mutata orationis structura Fabium scripsisse *differendum est,* quum scribi oportuisset *differendum sit.* Fugit Gernhardium, hanc ipsam explicandi rationem occupatam esse a (Walc)h(io) in Wolfii Litt. Anal. T. I. p. 251, insuper monente, hanc ipsam orationis formam interstinctione apta iuvandam esse, quod repudiarunt qui secuti sunt editores.

Declamationum
X, 15. p. 226. Burm.

Sicut omnis religio templorum, omnis religio locorum, cum tacuere mortalia, et profani procul erravere sedibus totis, solitudine frui, et de suis dicitur exire simulacris: ita iuvenis meus noctibus totis agebat filium, et paterna domo ac penatibus suis fruebatur placidus et mitis, et matri propitius, ut numen et deus delabi sideribus et venire de liquido puroque aëre videbatur etc.

Agitur de matre filium amissum nocte in somniis vidente, quam ille adierat, eas mutuatus formas, *quales humanis se offerunt oculis propitii dei, quale laetissimum numen est,* ut habet in proxime praecedentibus. Haeserunt VV. DD. in structurae ratione, quae recte perspecta nihil habet perplexi, sed paululum obscuratur uno vocabulo *totis* post *sedibus,* quo sententia turbatur, cuius loco si *tota,* ut volunt, scribitur, locus non multum iuvatur. Etenim Graevius et Burmannus, verbis *et profani* cum praecedentibus iunctis, *errare* scribendum proposuerunt, non reputantes parilitatem sententiarum *errare sedibus totis* et *de suis ex simulacris* inserta inter utramque tertia *solitudine frui* pessime turbari. Immo totum comma *et profani — sedibus totis,* servata lectione *erravere,* prioribus nectendum, ut nihil vitiosi restet quam quod utrobique molestum est, *totis,* quod si in *sacris* mutaveris, voci *sedibus* et sententiae satisfecisse tibi videbere.

Declamationum Quintiliani nomine superstitum adhuc apud harum litterarum cultores non ea cura fuit, quae optari debuit [27]). Nam neque de auctore earum neque de aetate, qua, si Fabii nomen mentiri reperiantur, ut arbitror, conscriptae sint, memini accurate quaeri. Neque id ipse nunc curo, contentus observatione aliqua ad resumendum hunc locum a nostrae aetatis hominibus prorsus neglectum invitasse. Videlicet in Glossario Latinitatis a Maio Auct. class. T. VIII edito, cuius supra ad Instit. orat. IX, 4, 88 mentionem feci, quum in exempla quaedam incidissem, quae de

27) V. Orellii Ep. ad Madvigium p. XCV. seq.

Quintiliani aliqua scriptione *Causarum* nomine appellata [28]) adscita sunt, hac mox cognovi nihil aliud significari quam quae vulgo inscribantur Declamationes. Hoc age comparando illa ipsa exempla comprobemus.

Pag. 27: „*exauctoratas manus armis agresti labore subegit.* In hoc autem loco exauctoratus ponitur pro extra auctoritatem positus.“ Exstant in editis Decl. III, 3, ubi vulgatum *armis manus.* Idem locus citatur infra, Causarum nomine oppresso, p. 193 ita: *exauctoratus manus labori agresti subegit.*

Pag. 90: *id vero cuius dementiae est? in concubinatum iuniores eliguntur.* Decl. III, 11. p. 68, ubi *hoc* pro *id* et *leguntur.*

Pag. 359: *contra libidinem maturuisse non prodest.* Decl. III, 10. p. 68.

Pag. 394, sine libri titulo, sed paulo ante memorato: *prorsus ominose retentus est.* Decl. III, 10. p. 68, ubi *est* omissum.

Sed afferuntur, quod maioris est momenti, alia quaedam numero plura exempla Quintiliani nomine, Causarum appellatione instructa, vel etiam carentia, quorum haec quum in Institutionibus frustra quaesiverim, vix possunt petita videri aliunde quam ex eodem Causarum libro, ex quo illa arcessita sunt, quorum sedem in Declamationibus deprehendere haud magis contigit: cuius generis notavi haec exempla:

Pag. 107: *deinde miserrimos senes cluserat iam prope aegros.*

Pag. 229: „Sciendum autem quod secundum Quintilianum de causis *fatum* dicitur a facio; unde et ait: *quid est fatum, nisi quod fit et non habet casum.*“

Pag. 358 ad v. commilito: *iamiam commilito quicumque manet, habens solatium.*

Pag. 394: *senex ominosus morte filii mei viro.*

Pag. 609: *tunc facies sentit incendium, cum ambusti defecere gressus.*

Alterius generis sunt haec:

Pag. 178: „Dilectus, us, electio. Quintilianus: *et quanta dilectui tuo fit invidia.*“ Scrib. *delectus* et *delectui.*

Pag. 395: „unde Quintilianus: *extra invidiam est optio, cum id exigum, quod impetrare non possum.*“

Haec quum ita sint, patet Quintiliano quidem adscriptas Causarum nomine Declamationes adhuc vulgatas exstitisse, sed simul etiam illud Causarum opus multa plures quam nunc manibus usurpamus Declamationes complexum esse. Quae si vera est observatio, eorum curiositatem ea debet exitare, quibus codicum manu scriptorum thesauros excutiendi opportunitas suppetit.

28) Eodem nomine passim citasse Vincentium Bellovacensem, adnotavit Fabricius Bibl. Lat. T. II. p. 323, ac veriore, ni fallor, quam Declamationum.

